



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Primus. Oratio ad Deum est duplex, scil. vocalis & mentalis, ac de vtriusque conditionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

oratione mentali, dicendum est. quæ sicut ad omnes mysticos status, eorumq; modos, seu internas locutiones, amorisq; actiones se extendit; ita etiam quædam in genere complectitur, quæ hoc loco ad ordinatam spiritualis & diffici structuram, priusquam ad particularia descendamus; exponuntur. Et quidem

- I. *Quod Oratio ad Deum sit duplex scilicet Vocalis, & Mentalis, ac de utriusque conditionibus.*
- II. *Oratio mentalis ad omnes mysticos status, & modos se se extendit, ad acquirendam, & continuandam presentiam Dei.*
- III. *Status mysticum, seu exercitium orationis mentalis, veram Dei vocationem, totam hominis vitam, & animam infractam expetere.*
- IV. *De libris, tempore, loco, ac corporis situ, exercitium mentali magis accommodis.*
- V. *Series omnium statuum orationis mentalis, secundum modum operandi naturaliter,*

ARTICVLVS PRIMVS.

Oratio ad Deum est duplex, scilicet Vocalis & Mentalis, ac de utriusque conditionibus.

Deuota oratio lato modo, & generica acceptione spectata, est duplex, Vocalis scilicet, & mentalis. Vocalis dicitur, quæ cordis petita, & desideria per os, & voces peragit; & [est Dei reconciliatio, a lachrymarum mater, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum murus, Angelorum opus, futura iucunditas, Virtutum fons, delicti anime, mentis illuminatio, desperationis securitas, spei demonstratio, tristitiæ solutio, diuitiæ Monachorum, thesaurus quiescentium.] Hæc porro vocalis oratio exercetur passim ab omnibus Christi fidelibus, quando orare, & à Deo eiusque sanctis aliquid petere, & impetrare gestiunt: ex his au-

tem Pientiores, quandoque gemitibus inenarrabilibus ad Deum suspirant, & tum [quicumque pius affectus in Deum oratio dici solet, a b Patribus.]

De orationis porro vocalis conditionibus, ad nostrum propositum non facit aliud dicere, quam vt quilibet talia rosaria, aut alias piorum librorum preces assumat, quæ in suo viuendi statu, ad maiorem deuotionem ipsum excitare compererit. Hæc etiam oratio vocalis apud illos, qui mysticam vitam directè non exercent, ideò necessaria, familiaris, & quasi sola nota est, eo quod ob sæculi, & sensuum internorum tumultus, alioqui ad varias distractiones abriperentur, & sine ea attentè orare non possent; vnde per orationis vocalis lectionem, aut elocutionem, pium aliquem externum sonum, sensus adimplentem, ceu, scutum opponunt, vt attentius Deum exorare valeant.

Oratio

^a Harph. l. 1. p. 2c. 42. ex Abbat. Ioan. Mont. Sinai. ^b Alenf. 4. p. 9. 26. m. 1. a. 1. ex Aug. Hug. de S. Viſ. & aliis.

Oratio verò mentalis est, quæ solo interiori actu mentis perficitur, non tam ad aliquid à Deo petendum; quam ad actualem coniunctionem amoris, creaturæ ad Creatorem excitandum. Et talis [oratio est *a* ascensus mentis in Deum.] vel est [ascensio *b* animæ de terrestribus ad cœlestia; inquisitio supernorum, inuisibilem desiderium.] vel [est *c* conuersio mentis in Deum, per pium & humilem affectum.] [vel est hominis *d* Deo adhaerentis affectio, & familiaris quædam, & pia allocutio] vel tandem [est coniunctio, *e* & vnio hominis, & Dei:]

Orationis porrò mentalis genus est triplex. Primò, religionis infusæ, seu fidei per tres virtutes Theologicas, scilicet fidem, spem & charitatem. Secundò, per dona habitualia intellectus, & sapientiæ, modo supernaturali, id est, absque imaginationis vsu, & discursu, secundum simplicem, & Angelis conformem intelligentiam. Tertio, per gratias gratis datas, eminentiori modo, quam per dona habitus, in actu transeunte duntaxat, pro vt fit in speciebus infusis, aut præuijs voluntatis commotionibus. In primo genere exercentur incipientes & proficientes, dum in interiore homine purgantur, & illuminantur; in secundo *g* genere perficiuntur perfecti; in tertio autem singularibus fauoribus Spiritus sancti dignantur *h* sancti Viatores, quibus etiam do-

na, & gratiæ sanitarum, prophetiæ, ac miraculorum, conceduntur.

Ad orationem insuper mentalem, seu [contemplationem] tria requiruntur, primò, vt sensualitas sit munda. Secundò, vt non obumbretur caligine phantasmatum. Tertio, vt voluntas per charitatem, & deuotionem, sit ordinata in Deum.] de quibus per singula ordinatè ad praxin, in proprijs locis, tota hac summa tractatur. Interea verò ad vtriusque orationis scilicet vocalis, & mentalis durationem, quod attinet [oratio *k* quantum pertinet ad eius causam, quæ est quoddam charitatis desiderium, perpetua esse debet. quantum verò attinet ad propriam eius rationem, tamdiu durare debet, quamdiu sine tædio, feruori interni desiderij excitando, seruit.] Quam ampla verò sit oratio mentalis, iam consequenter dicendum est.

Oratio mentalis ad omnes mysticos status, & modos sese extendit, ad acquirendam & continuandam præsentiam Dei.

ARTICVLVS SECVNDVS.

IAm verò hæc omnia genera, status, & modos ad orationis mentalis gremium spectare, in eo que ceu varias species sub genere comprehendit; non tantum ex eo constat, quòd hi status veram Dei vocationem, *l* totam hominis vitam,

B 3

vitam,

a S. Damasc. l. 3. de fid. c. 24. *b* S. August. serm. 230. de temp. *c* lib. de spir. & anim. c. 50. *d* S. Bern. ep. ad fr. de mont. *e* Idem. Abb. apud Harph. vbi sup. hanc tota 1. part. *g* 2. par. tota. *h* 2. p. dec. 9. *i* S. Thom. in 3. cap. de diuin. nom. *k* S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 14. c. *l* hic a. 3.